

Te potius, quàm Regni Administrum repræsentat: Affabilitatem verò tuam assiduè celebrant, sermonis comitatem atque urbanam ingenii indolem, quibus artibus non auctoritate ac rigore homines in officio continere didicisti, multoque suaviùs, ac firmiùs cordibus omnium imperare.

Implebit postremò Catholicorum omnium vox, qui temperatam Christiana mansuetudine tuam agendarum rerum rationem diu celebrant, stupentque, difficillimis temporibus, non vi, non terrore potentia, sed vigili studio, maximâque prudentiâ sartam tectamque servatam hæctenus Religionem adversùs Novatorum versutias, & molimina. Sed quæ nos tot optimè gesta silentio præterimus, aliquando libentiùs exequetur Gallorum historia. Interim, PRINCEPS EMINENTISSIME, & officia nostra, & exiguum hocce munus libenter accipe, devoti animi nostri ac obsequii perpetuum monumentum, & si non ingratum fuerit, studiis nostris auctoritate, ac dignitate tua favere adhuc imposterum ne dedigneris, meque perpetuò pro incolumitate tua preces persolventem, in clientelam suscipias obsecro. Vale.

*Dabam Mediolani pridie Idus Decembris
MDCCXXXII.*